

DD. IOANNIS OECO

LAMPADII ET HVLDRICHI ZVINGLII EPISTOLARVM
LIBRI QVATVOR, PRÆCIPVA CVM RELIGIONIS A CHRISTO NObis traditæ capita, tum Ecclesiasticæ administrationis officia,
nostro maxime seculo, tot hæctenus erroribus per-
turbato, conuenientia, ad amussim
exprimentes.Opus cum primis eruditum ac pium, renatiq; EVANGELII
studiosis apprime necessarium, nunc deniq; primum in lucem
editum.

A D H A E C

*Scriptorum IO. OECOLAMPADII & HVLDRICHI
ZVINGLII Purgatio, per THEODORVM Biblian-
drum, sacrarum literarum Tigurinae Ecclesiæ professorem, conscripta.*Vtriusq; uita & obitus, SIMONE GRYNÆO, WOLFGANGO CAPL-
TONE, & OSVALDO MYCONIO autoribus.*Epigrammata Hebraica, Græca, Latina, in Eosdem.*

Rerum deniq; memorabilium locupletissimus

I N D E X.



B A S I L E A E

M. D. XXXVI.

quicquid agimus, amicum & paternū est, Saluare cupimus quosdā, qui per ignorantiam pereunt. Seruare libertatem satagimus. Vos igitur nolite tantopere abhor-
 rere à consilijs nostris. Mitiora sunt, & æquiora, quàm quidā apud nos dicunt.
 Omnibus qui nos falsò deferunt, promptè creditis, cum hæctenus semper experti
 sitis ueritatem nostram: illorum autem inconstantiam, ne dicam mendacia. In hoc
 igitur estote, ut pro fide in Deum, & in homines constanter nostris respondeatis.
 Quid multa? nihil metuite. nam Dei bonitate & *συμμαχία*, uniuersa sic geremus,
 ut uos nostri nec pudeat, nec pœniteat. Hæctenus ille. Lubētius hæc descripsi, ut
 testimonium sit mi Agathi certissimum tibi, ZVINGLIUM putari sanguinarium
 immeritissimè. Fuit certè uir fortis, in periculis intrepidus & prudens: at sitire san-
 guinè uel grauissimorū hostium, tam absuit, quàm abesse debet cum à prudente,
 tum à ministro Christi. Libertas patriæ, uirtutes uitæ, & in primis gloria Dei &
 Christi, omnium consiliorum fuerunt & fundamentum, & scopus: quicquid di-
 cant, quicquid clament, quicquid contendant omnes omnium nationum etiam
 hostes Zuingliani. Ecce coram te & Deo ueritatem loquor. Duobus bellis igitur
 intestinis interfuit, quorum utrumque à Capella monasterio Capellanum dicitur.
 Ad prius sponte profectus est, ut consultationibus interesset, ne quid aberraretur à
 uero & bono. felicissime cecidit, & sine sanguine confectum est. De quo sæpe mi-
 hi narrauit, plus maliciæ & prauorum consiliorum illic comperisse, quàm per om-
 nem uitam norit uel experientia, uel ex libris. Ad secundum electus est, ut Paro-
 chus: & quamuis renueret apud se & apud alios, exijt tamē. Vidit apimus diuinus
 quid futurum esset. Causa belli nunquam placuit, commeatus uidelicet amputa-
 tio, norat enim qualisnam consultrix fames. Quamuis ingenuè dicam, postquam
 istud consilij fuerat ab inuitis Tigurinis receptum semel, (nam alij, quos non igno-
 ramus, induxerant non malo certè animo; putarant enim consilijs interea tempo-
 ris ad pacificationem iter inuentum iri, cum Tigurini bellum maluissent) non pla-
 cuit ZVINGLIO, ne contemptum pareret adhuc maiorem apud aduersarios mu-
 tatio. quanquam interim nec repugnaret admodum. Dixerat item intra dies qua-
 tuordecim ante profectionem bis, me audiente, pro suggestu, dum feruerent om-
 nia: Scio, scio inquam, quid rei sit. Es ist umb mich zethun: Vt ego tollar, fiunt om-
 nia. Imò et Cometen, quæ uisa est per aliquot septimanas, in aurē susurrarat amico,
 fatalem esse & sibi, & adhuc alteri cuipiam. Nos semper Oecolampadium intelleximus.
 Igitur tumultuariè profecti Tigurini (quoties tumultum hunc adspicio,
 toties ueluti gladio confodior: tam erat nullus ordo, nulla consilia, nullæ mentes:
 tanta animorum dissonantia, tam horrenda facies ante & post signa sparsim curren-
 tium hominum: nō enim dicere ualeo, nisi de paucis, militum. Imò et tantillus nu-
 merus omnium (quinq̄ies mille fuerant electi, non aderant quatuor milia quin-
 genti) contra tam paratam multitudinem. Profecti igitur Tigurini, secutus est in-
 ter postremos & ZVINGLIUS eques, & armatus pro more nostro, quem ut uidi,
 repentino dolore cordis uix consistebam: pessimum præfagium. Manebamus
 eum diem non certe sine iugibus suspirijs, non sine precibus ad Deum. Sed aliud
 hic constituerat pro nobis, non contra nos, ut ego sanè interpretor, & pie qui-
 dem. Nam ut obiter hoc, multo cautius incedere didicimus. Habemus Euangeliū
 maiore in precio, Deum rectius intuemur, & manifestiores sunt, qui hæctenus ad-
 uersati sunt Euangelio Christi. Vt igitur mane uideram exeuntem, ita sub noctem
 audio nuncium, pugnatum quidem acriter, tamen infeliciter, & ZVINGLIUM
 nobis perijisse. Prostratum, aiebam, prementiu multitudinem iam tertio, sed in pedes
 semper restitisse: quartò fixum cuspidē sub mento, & in genua prolapsum dixisse:
 Ecquid hoc infortunij? Age, corpus quidē occidere possunt, animam nō possunt.

Zuinglij cædes

DE VITA ET OBITU H. ZVINGLIJ.

atq; his dictis mox obdormiuisse in Domino. Post cladem ocium ubi datū hostibus (nam nostri retro in locum abierant securiorem) cadaver ZVINGLIJ queritur: (& quis indicarat tam cito uel adfuisse, uel occisum esse?) inuenit, iudicio condemnatur, in quatuor partes secatur, in ignem conijcitur, in cinerem resoluitur. Hostibus digressis post diem tertium, accedunt amantes ZVINGLIJ, si quid reliquiarum eius offenderent, & ecce cor (mirabile dictu) se offert è medijs cineribus integrum & illaesum. Stupebant boni uiri, miraculum quidem agnoscentes, sed non intelligentes. Quare Deo tribuentes quicquid esset, non nihil, tanquam certi magis de cordis uiri sinceritate facti supernè, gaudebant. Venit non multo postea uir mihi notissimus, sed & familiarissimus, rogans an portionem cordis cupiam uide re Zuingliani, quod secum ferat in loculo: quia propter sermonem hunc inopinatum horror quidam totū corpus peruaserat, negarā, alioquin & huius rei possem esse testis oculatus. Hic est ergo uite ZVINGLIANAE cursus, hęc mortis alea, quā pius in patriam adtulit animus, & cor sincerum erga rempub. Christi, horribilis quidem in oculis hominum, præciosa in conspectu Dei, qualis manenda doctoribus iusticiæ diuinæ cunctis, nisi Dominus singulari proueniat tueaturq; gratia. Arbitror petitioni tuæ satisfactū Agathi. Quod promisi, præstiti, ueritatem & breuitatem ob sermonis cultum ut nihil obligatus, ita nihil soluens. Utinam prodeat in posterum, qui narratione tum uera, tum culta pro dignitate uiri tam excellentis in usum piè studiosorū isthęc omnia perpoliat quā iucundissime. Tu uale, & obsequiū hoc meum candidè interpretare. Tiguri, Anno
M. D. XXXII.

IN EXCVDENDA PRAEFATIONE, NIMIUM UT
fit propter urgentes Nundinas properando, errata quaedam
irrepperunt, quæ sic emendabis.

α Pagina 4. uersu 19. uirorum, pariter salut. 6. 1. decuterē onus. 8. 11. astro-
rum cursus. 9. 2. & negocijs. 12. 12. Deo inquires. β. pagina 1. uers. 27.
nocturnis oculis. 31. indicatur. 2. 19. cui hanc. 4. 1. alia materia. 4. 42. Deo pla-
cuerunt. 6. 2. uere studiosi. 34. impietatis. 8. 37. Ecclesiæ. 9. 30. Sinit
enim. 31. penitius. 10. 16. criminis execrabilis. γ. pagina 4. uersu 15. ac uini.
19. ac sanguine. 6. 10. merum est beneficium. 40. Non affigitur. 43. habet.
8. 17. Iustiniani. 9. 10. aptanē. 10. 41. cognita confessaq; in illustri ponat corā pia
plebecula, ad cuius captū, &c. δ. pagina 1. uersu. 16. dele Euangelij. 2. 22. To-
losanus. 5. 16. nuncaliter.